



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. I. Sententia negans, ut probabilior eligitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

omni miseriā, potest appeti duobus modis: prīmo per modum prosequotionis boni; & hoc contingit, quando aliquis appetit possidere aut obtinere positivē aliquod bonū; secundō per modum remotionis mali, sicut quando aliquis desiderat carere aliquā miseriā; & hoc secundo modo ipsi damnati & miseri, dum appetunt non esse, querunt beatitudinem, quatenus tunc optant carere omni miseriā.

II.

Objicītus ultimō: Voluntas est libera libertate contrarietatis circa bonū & malū, juxta illud Eccl. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi:* Ergo potest indifferenter velle bonū & malū.

Respondeo, quod licet voluntas sit libera libertate contrarietatis, in ordine ad quocumque bonū & malū particulare & limitatum, subindeque possit indifferenter illud velle aut nolle, non tamen circa bonū & malū ut sic, sed est determinata ab auctore naturae ad amandum bonū ut sic, & ad odiendum malū ut sic: unde ad libertatem voluntatis non requiritur quod per auctum prosequotionis possit ferri in malū sub ratione mali, sed sufficit quod possit velle malū sub ratione boni: juxta illud Augustini in Enchir. cap. 105. *Nec enim culpanda est voluntas, nec dicendum, aut voluntas non est, aut libera non est, quia beati esse sic volumus, ut esse miseri non solū nolimus, sed nequaquam prorsus velle possumus.*

## ARTICVLVS II.

*An bonitas finis sit non solum objectum primarium & principale voluntatis, sed etiam totale & adequatum?*

**P**A R T E M affirmativam tenent aliqui ex nostris Thomistis, existimantes in mediis nullam inventari bonitatem intrinsecam, sed illa extrinsecè tantum denominari bona à bonitate finis; sicut medicina dicitur extrinsecè sana à sanitate animalis, cuius est effectiva: unde volunt bonum respectu finis & medijs esse analogum analogiā tantum attributionis seu proportionis.

## S. I.

*Sententia negans, ut probabilior eligitur.*

12. **D**ico tamen: Media gaudere bonitatem intrinsecā, diminuta, ac dependente à bonitate finis; & per consequens finem esse quidem objectum primarium & principale voluntatis, non tamen adaequatum & totale. Ita videatur docere Divus Thomas h̄c art. 2. ut patebit ponderanti ejus verba: Nam in primis loquens de objecto adaequato voluntatis, ut potentia volitiva est, dicit: *Quod voluntas se extendit ad finem, & ad ea que sunt ad finem: ad ea enim se extendit una queque potentia, in quibus inveniri potest ratio sui objecti; sicut visus se extendit ad omnia que participant quocumque modo colore: ratio autem boni, quod est objectum voluntatis, invenitur non solum in fine, sed in his qua sunt ad finem.* Deinde in calce corporis articuli, docet quod sicut intellectus respicit conclusiones, ut in eis reludent principia; ita voluntas fertur in media, prout in eis relinet ordo ad finem; sic enim se habet finis in appetibiliis, sicut principium in intelligibiliis. Et in solut. ad 2. ait quod medium se habet respectu finis, sicut color respectu lucis: Sed

A. constat conclusiones in se habere veritatem & cognoscibilitatem intrinsecam, dependentem tamen à veritate principiorum, eique subordinatam; & similiter colorem esse actu visibilem, licet dependentem à luce in exercito movendi visum: Ergo ex D. Thoma media gaudent bonitate intrinseca, diminuta tamen, ac dependente à bonitate finis, ratione cuius pertinent ad objectum secundarium & minus principale voluntatis: sicut intellectus non solum habet pro objecto principia, sed etiam conclusiones; vel sicut visus non solum habet pro objecto lucem, sed etiam colorem.

Favet etiam Aristoteles lib. i. magnorum Moralia cap. 5. ubi sic habet: *Bonorum quedam sunt fines, alia vero non:* Sed quae non sunt fines, haud dubie media sunt: Ergo ex Aristotele non solum finis, sed etiam media, sunt verē & intrinsecē bona.

Ratio etiam id suadet: Media enim ratione propriæ naturæ habent ordinem, proportionem, & coaptationem in finem; nam medicinæ habent vim naturalem & proportionem ad temperandum humores, & restituendam sanitatem: Ergo gaudent bonitatem intrinsecā, ratione cuius pertinent ad objectum secundarium & minus principale voluntatis. Consequentia probatur, tum exemplo materia prima, qua ratione ordinis ad formam, & capacitatē eius, dicitur bona, ut docent Philosophi in physica, & colligunt ex Divo Thoma i. p. quæst. 5. art. 3. ad 3. ubi ait: *Materia prima participat aliquid de bono, scilicet ipsum ordinem vel aptitudinem ad bonum.* Tum etiam quia bonum idem est quod appetibile, seu convenientis appetitū: Sed media ratione proportionis & coaptationis in finem, movent formaliter appetitū, & terminant eius actum, qui est electio; quare quanto major proportio & efficacia est in mediis ad obtinendum finem, tanto magis appetuntur & eliguntur: Ergo ratione illius ordinis, proportionis, & coaptationis in finem, gaudent bonitatem intrinsecā in ordine ad illum. Unde D. Thomas 2. 2. quæst. 33. art. 6. ad 3. *Ea que ordinantur ad finem, habent rationem boni ex ordine ad finem.*

Addo quod, sicut virtus existens in lapide, per quam tendit in centrum, est quædam participatio virtutis conservativa lapidis existentis in eodem centro; id est quæcumque cùm lapis moveretur deorsum, eod velocius moveretur, quod magis ad centrum approximat, quia per approximationem ad suam causam, virtus prædicta quodammodo confortatur & roboretur ad caufandum predictum motum, ut docet Aristoteles i. de cœlo textu 38. & ibi Divus Thomas lect. 17. Ita utilitas, per quam media ducunt in finem, est quædam participatio convenientia & bonitatis ipsius finis; unde illud medium utilius est ad finem aliquem, quod magis ad illum appropinquat, quodque magis participat de ipso fine: Ergo si media ab intrinseco habeant utilitatem, ordinem, proportionem, & coaptationem in finem, gaudent etiam bonitatem intrinsecā, non absoluta, sed respectiva, ac dependente à bonitate ipsius finis. Quare S. Doctor in 2. dist. 21. qu. 1. art. 3. loquens de bonitate mediiorum, & distinguens illam à bonitate finis, sic ait: *Aliiquid tamen est quod in se bonitatem habet, non tamen appetitur, si absolute consideratur, sed ex ordine ad finem, bonitatem quandam sortitur, que utilitas nominatur.*

Potest etiam suaderi seu confirmari conclusio alia ratione assumpta ex eodem Angelico Do-

**A**ctore t. p. quæst. 5. art. 6. Intantum aliquid est bonum, in quantum est appetibile, & terminus motus appetitus: Sed media ut talia terminant secundum quid, sive aliquo modo motum appetitus, finis verò simpliciter & ultimè eum terminat: Ergo media gaudent bonitatem intrinsecam, diminuta, & secundum quid; finis verò simpliciter, & absolute bonus est. Major patet. Minor verò declarat D. Thomas exempli modo motus corporalis: *Terminatur autem (inquit) motus corporis naturalis simpliciter quidem ad ultimum; secundum quid autem etiam ad medium, per quod ita ad ultimum quod terminat motum, & dicitur aliquid terminus motus, in quantum aliquam partem motus terminat..... Sic ergo in motu appetitus, id quod est appetibile, terminans motum appetitus secundum quid, ut medium per quod tenditur in aliud, vocatur uile; id autem quod appetitus ut ultimum, terminans totaliter motum appetitus, sicut quadam res in quam per se appetitus tendit, vocatur honestum, quia honestum dicitur quod per se desideratur.*

## §. II.

## Solvuntur objectiones.

**16.** **O**BIICIVNT in primis Adversarij plura Aristotelis & D. Thomæ testimonia, in quibus rationem & nomen boni soli fini attribuunt, bonumque cum fine converti sepe assertunt.

Verum facile responderetur, eos loqui de bono simpliciter & absolutè; illud enim cum fine coincidit, & cum illo convertitur, non autem de bono ut sic, & prout abstrahit à bono simpliciter & secundum quid; à primario & secundario, absoluto & respectivo: sic enim ratio boni non solum fini, sed etiam mediis intrinsecè convenit, ac de illis prædicatur.

**17.** Instant Adversarij, & adducunt aliqua Divi Thomæ loca, in quibus aī media non appeti propter aliquam bonitatem in eis existentem.

Sed hæc etiam facile solvuntur, dicendo S. Doctorem his locis non negare mediis omnem bonitatem intrinsecam, sed solum primariam & absolutam, quæ est propria finis. Unde quando ait i. p. quæst. 5. art. 6. ad 2. *Vtilia non habere in se unde desiderantur, sensus est, non habere unde desiderantur propter se, & sistendo in se, quamvis habeant intrinsecam bonitatem & appetibilitatem propter aliud, ut denotant verba subsequentia, sed desiderantur ut sunt ducentia in alterum.* Similiter cùm qu. 21. de verit. art. 1. dicit quod tota ratio appetibilitatis ejus quod est ad finem, est finis, loquitur de appetibilitate, quæ constituit rationem omnino formalem & motivam appetitus, cuiusmodi est sola bonitas finis: non excludit tamen aliam intrinsecam appetibilitatem, per quam media secundariò & dependenter à fine terminant suo modo appetitum, ut patet ex locis suprà relatis.

Urgebis: D. Thomas suprà qu. 1. art. 1. probat omnes actiones humanas esse propter finem, ex eo quod finis sit objectum voluntatis: At si finis non esset objectum illius adæquatum, sed primarium solum & principale, hic discursus non valeret; cùm omnes actus alicuius potentia non tendant in ejus objectum primarium & principale, sed aliqui versentur circa objectum duntat secundarium & minùs principale: Ergo juxta principia doctrinae D. Thomæ, finis est objectum totale & adæquatum voluntatis; subinde-

que ille solus est intrinsecè & formaliter bonus, media verò denominativè solum & extrinsecè.

Respondeo concessa Majori, negando Minorē: ut enim discutus D. Thomæ sit legitimus, sufficit quod ratio formalis *sub qua*, seu objectum formale quod adæquatum voluntatis, sit finis, licet media pertineant ad objectum secundarium illius, subindeque gaudent bonitatem intrinsecam: nam ex hoc rectè infertur omnes actus humanos dependere à fine, sicut à motivo & ratione *sub qua*. Sicut licet colores pertineant ad objectum formale terminativum visus, quia tamen lux est ratio formalis *sub qua* adæquata illius, & colores non habent vim immutandi visum, nisi dependenter à luce, bene colligitur omnis quævidetur, videri mediante luce. Quo exemplo utitur S. Doctor h̄c art. 2. ad 2. ubi docet media ut habere respectu finis, sicut colores respectu lucis: colores autem habent visibilitatem intrinsecam, dependentem tamen à luce, ut ab objecto motivo & ratione *sub qua*: Ergo patiter media, ratione proportionis & coaptationis quam habent cum fine, gaudent bonitatem intrinsecam, licet imperfecta ac diminuta, & à bonitate finis, ut à causa motiva dependente, ei que subordinata.

**C** Objicies secundò: Tota ratio medijs consistit in tendentia & relatione ad finem: At relativa, ut talia, nullam dicunt bonitatem aut perfectiōnem, ut in tractatu de Trinitate ostendimus: Ergo media ut talia, nullam habent in se bonitatem.

Respondeo, media ut sic, esse relativa transcendentalia, non prædicamentalia; licet enim fundent relationem prædicamentalem, non tamen propriæ eorum ratio in illa consistit, sed in eo quod ipsam fundat: quamvis autem relatio prædicamentalis secundum rationem ad non exprimat perfectionem, ut diximus loco citato, relatio tamen transcendentalis potest ipsam importare. Et ratio discriminis sumitur ex utriusque relationis natura: nam prædicamentalis est purus respectus ad aliud tanquam ad purum terminum, in quo proinde nulla convenientia neque ad subjectum, neque ad ipsum terminum, neque ad appetitum importatur; & ita ex nullo capite perfectionem vel bonitatem explicat: transcendentalis verò, quamvis relatio nuncupetur, revera est forma absoluta; & licet ordinetur ad aliquid extrinsecum, aut ab illo dependeat, non tamen est purus respectus, sed dicit vel influxum in terminum, vel proportionem & commensurationem cum eo, vel participatiōnem ab ipso, vel alias similes rationes, quæ convenientiam & appetibilitatem importare possunt.

E Objicies tertio: Movere & allicere voluntatem, est propria causalitas finis, ut docent Philosophi 2. Physicorum: Ergo nequit convenire mediis, nec subinde bonitas intrinsecā.

Respondeo causalitatem finis, secundum quod à mediis distinguitur, non esse utcumque movere & allicere voluntatem, sed movere illam primariò, & propter se: media autem quamvis habeant vim intrinsecam movendi, non tamen primariò & propter se, sed secundariò & propter finem, ac dependenter & participative ab illo.

## §. III.

## Corollaria ex dictis.

**E**X dictis colligitur primò, bonum analogicè convenire fini & mediis, non solum analogicè

S. ij

22.